AD QVODLIBETARIAM
QVAESTIO MEDICA
MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN
SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIII. IANVARII
M. IOHANNE LE MOYNE DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Splenica Sterilitatem inducunt?

MEDICAMENTVM vt & alimentum partim aliud ab alio specie, partim temperie atque substātiā idem aut diuersum est. Ab iis ipsis in vnoquoque tam qualitas quàm facultas inest: vtraque ad aliquid, non quidem ea tantùm quæ vniuersalis est ac indefinita, cuiusmodi tum Tactiles, tum Sapidæ, & quæ his æquè medicatrices, ac numero pares, odoræ, visiles, Sonoræ, aut quæ deinceps censentur Molliens, indurans, coquens, suppurans, sarcotica: sed & tertiæ propriæ ac peculiares Splenica, Spermatica, prolifica τεκνόποιος: denique alia quæuis seu alterando, seu purgando conueniens aut discrepans, seu præstando quid aliud cæteris illis adhuc nobilius. Earumdem similiter vnaquæque quam benè vel malè habet ad temperiem aut σύστασιν, aut ad vtrumque simul spirituum, vel humorum, vel partium nostri corporis tam quoque promouet robur, ac integritatem functionum, & vsus cuiusque eorum siue ad indiuiduum spectent siue ad speciem.

SIC reparant temperiem substantiámque cordis primùm aer, deinde εὐώδη μα præcipuè frigidiora aut temperata: Calida vt etiam Theriaca sæpe noxia sunt. Eiusdem ζωτικὸν ἰκμαλέον in hecticā lac asinæ sustentat, & temperat carnis μαρασμὸν πεῖφρυγῆ: In phthoe vero tabificos ichores putridam mephitim exhalantes in cor, & delapsu in os ventriculi excitantes Syncopen cardiacam exsiccant coralli genus omne, scobs auri, gemmarum, margaritarum, fragmentorum prætiosorum pulueres, non splendore qui in eis ibi tum nullus est, sed terræ particulā supra quam nec in eis, nec in lapide bezoardico, cornucerui, vnicornis, aliquid alexiterij verè negari nequit. Iecori interdum conueniunt, quæ aliàs ventriculo sunt noxia vt cichoria, aliàs ingrata vt absynthia: Cerebro autem conciliant εὐεξίαν calida sicca, quamquam huic ad proprias actiones aptior & κατὰ φύσιν est temperies frigida humida, & substantia βλεννώδης.

NON aliter partium subministrantium δυνάμεις, & quæ regunt ac reguntur, continentur in officio: Inter quas lieni, vtero, genitalibus, cum principibus illis æqua societas, ferè par imperium in corpus, μιὰ ξύῤῥοια, μιὰ ξύμπνοια, ξυμπάθεα illarum πάντα: Mensium suppressio, fœdi colores, πνίξ. Dyspnœa Asthmatica, ἀνορεξία, mania, melancholia, hydrops, vnâ omnium scaturigine, ex temperie atque substantiā ὁρμώντων, ἐκιόντων, κ͂ ἐπισχόντων, in quibus robur partium est, & huius causâ, vna eademque semper indicatio therapeias scilicet repressionis ἀτονίας κ͂ ἐκθλίψεως per ea quæ hinc in classes cognomines abeunt, vt asplenium, phyllitis, tamariscus, cortex capparis, ruta, vitex, calida: frigida autem nymphæa, rubigo, scoriaq; ferri, cortex & decoctum salicis, acetum, chalybs, aqua chalybeata, aeizouum, & hederæ radix, quæ appensæ collo id possunt in hæmorrhoidas incipientes, quod chelidonium minus & scrophulariæ radix in strumas etiam inueteratas.

LIEN ad spirituum vitalium materiam cordi præparandam minimè natus (licet copiâ & magnitudine arteriarum omnibus visceribus præpollens) sed ad mulctram fæcis sanguinis, ex quâ sibimet alimentum conficit, iecori oppositissimus vt ad ὑπόστασμα ventriculi fundo, eiusdemque stomacho ad famelicam sensionem. Carnis est præter omnia viscera naturalia, spongiosæ, laxæ, mollis, temperamento frigidæ humidæ, propterea summè omnium oportunus exolutioni substantiæ per intemperiem citra materiam, vnde Splenitis propriè dicta, quam sequuntur deinceps Tumor, Scyrrhus, ὕδωρ, χαῦμα, πνεῦμα, τάσις, βορβορυγμοί. Quibus quidem prophylactica ac therapeutica amara aliàs, aliàs acria, aliàs frigida humida, vel sicca. Parenchymati vero semper acerba, aut adstringentia valida, cuiusmodi non etiam gaudeant aliæ partes, nec ipsum quidem iecur, quamquam Liene prius accuratiusque semper est firmandum.

SED eorumdem magna pars ἰκμάδα benignum parenchymatum in vtroque parente primigenij ὑπέκκαυμα subducunt, calidum humidum, in cuius copiâ viget spirituum, humorum, partiúmque naturalium ὄρος τε κ͂ ὀργασμός, depopulantur, εἶδος εὐεκτὸν totius ac partium genitalium corrugant, seminalem οὐσίαν reddunt ἐξίτηλον: Denique vt cyclamen, filix, opopanax, ammoniacum, bdellium, galbanum, sagapenum, celebria splenica φθόρια sunt, alia quò potentiùs adstringunt vt alumen, galla, malicorium, mulorum testes cum decocto salicis, hoc efficaciùs omnia reddunt ignaua, temperiem calidam humidam restibilis fœcunditatis parentem squallere faciunt, fluida inspissant, corpora viasque contrahunt, intus commeatum intercipiunt, foris amoliuntur. Et cùm ὁρμὴν vteri ad σύλληψιν impediant, aut eiusdem atque γονῆς ἰσχὺν κ͂ δύναμιν destruant, non παιδὶ exitum secessionémve molienti, quàm κυήματι emergenti, vel ἐμβρύῳ alimoniam ad perfectionem capessenti faciliora sunt.

Ergo Splenica sterilitatem inducunt.

PROPONEBAT MICHAEL TOVTAIN LVTETIANVS, ANNO SALVTIS cIↄ. Iↄ c.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Germanus Clerselier.	*M. Georgius Cornuty.*	*M. Nicolaus Ellain Decanus.*
M. Simon Pietre prof. Reg.	*M. Iohannes le Moyne præses.*	*M. Guillelmus de Baillou.*
M. Iohannes Duret Med. & Prof. Reg.	*M. Claudius Boyuin.*	*M. Henricus de Monantheuil Prof. Reg.*